



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Qvi Sine Literis Dimissoriis, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora
sacris initiantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

L I T T E R A E
 PII SECUNDI PONT.
 DE CLERICIS,

QVI SINE LITERIS DIMISSORIIS,
 vel ante legitimam aetatem, vel extra tempora
 sacris initiantur .

*Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Ad futuram
 rei memoriam .*



Vnctis disponentes fidelibus iustitiam ministrari,
 tenorem cuiusdam dudum per felicitatis recordatio-
 nis Pium Papam II. predecessorem nostrum, ad fu-
 turam rei memoriam editae, & in Quinterno Can-
 cellarię Apostolicę Anno Incarnationis Dominicę
 Millesimo Quadringentesimo sexagesimoprimo,
 Quintodecimo Kal. Decemb. Pontificatus sui An-

no Quarto, annotatę constitutionis, presentibus, ad instantiã dilecti
 filij nostri Caroli Tit S. Praxedis Presbyteri Cardinalis Borromæi
 nũcupati, perpetui administratoris Ecclesię Mediolanen. inferi ac de
 uerbo ad uerbũ annotari fecimus, uolentes, & Apostolica autoritate
 decernentes, quod huiusmodi sic inserto tenori, in quibuscunque cau-
 sis interesse ipsius Caroli Cardinalis, & administratoris, concurrentibus,
 dumtaxat stetur & plena fides adhibeatur ubique in iudicio, & extra
 illud ubi ille exhibitus fuerit uel ostensus: dictus uerò tenor sequitur,
 & est talis uidelicet. Pius Episcopus servus servorum Dei ad futuram
 rei memoriam. Cũ ex sacrorum ordinum collatione character inui-
 sibilis animę imprimatur, sacra mysteria dispensantur, ut ipsarum cu-
 ra tribuatur animarum, in eorum susceptione excessus grauis tanto
 magis plectendi sunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium
 scandala generantur. Cũ itaque sicut fide dignorum relatione non
 nisi moleste accepimus, nonnulli clerici extratempora à iure statuta:
 quidam ante etatem legitimam: aliqui uerò sine dimissoris literis,
 contra sanctiones canonicas, se faciant ad sacros ordines promo-
 ueri: Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, ut

Fff 4 alijs

alijs in posterum committendi similia aditus præcludatur, auctoritate Apostolica, præfenti constitutione perpetuò ualitura, statuimus, & ordinamus, ut omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora à iure statuta, siue ante legitimam ætatem, uel absque literis dimissorijs etiam citramontani a citramontanis (præterquàm si in hoc ultimo casu per Cameram Apostolicam, iuxta ipsius stilum ordinati fuerint) ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum executione ordinum ipso iure sint suspensi: Et si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumperint, eo ipso irregularitatem incurrât, propter quam ultra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas beneficij ecclesiasticis, quæ obtinent, possint iure priuari: uolumus autè quòd præfens nostra cõstitutio in Romana curia existentes post quindecim dies, absentes uerò Italicos post duos, alios autem etiam ultramontanos post sex menses ab ipsius in audientia contradictarum, & Cancellaria Apostolica, publicatione, ac affixione ligare incipiat. Nihil ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti ordinationis, & uoluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo primo, Quintodecimo Kalen. Decembris Pontificatus nostri Anno Quarto. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostre uoluntatis, & decreti infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Septuagesimo secundo, Nono Kal. Martij. Pontificatus nostri Anno Primo.